Constantinus

Huygens

Patri colendiss.^mo

S.

Dulce caput, venerande Senex, pia cura tuorum,
O Pater, ô animi portio magna mei;
Accipe, sed nocturna, suos redolentia somnos
Scripta, (jubes testem prodere? lectus erit.)
Quae, licet haud Patriam referentia carmina, nomen
Non potuere oculos non subijsse tuos:
Nempe cui vitam genitus lucemque diurnam
Huic parili noctes debeo jure meas.

Colendissime Pater,

Nequid huius te Carminis vel occasio vel argumentum lateat, paucis praevisum fuit ascribere. Est autem huiusmodi. Septem fere sunt menses ex quo missis Venusdam literis obnixe Verlinum meum rogo ut mihi Vultei Theses Juridicas, quas utilissimis olim ab ipso notis atque animadversionibus auctas meminerim, in dies aliquot utendas concedere vellet: Quod cum ille non sine propriae commoditatis dispendio fieri posse, per fratrem qui hic Leydae commoratur, nunciandum curasset, ego hic veluti aegre ferens quod me Epistolis quidem respondere dignatus fuerit, accepta simul occasione rumoris qui de amoribus ipsius (si Deo placet) jam pridem spargitur, Musarum, uti soleo, suppetias imploraturus ibi, Epistolium videlicet facturus, num, quas precibus extorquere nequii, exprobationibus impetrare literas valeo. Vale et Tu quoque Pater optime.

Leydae, vj.° Id: Decemb. CIƆIƆCXVI.

C. H.

Monsieur

Mr Huygens Secretaire

d'Estat

A La Haye.

XLIII a

© Koninklijke Bibliotheek
KA 43a (1616), fol. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/19